strumento. Sic et hoc testimonium de psalmis et isaia esse contex
tum. Nam duo primi uersus sepulchrum patens est guttur
eorum linguis suis dolose agebant quinti psalmi sunt. Illud autem
quod sequitur. Uenenum aspidum sub labiis eorum. centesimi tricesi
mi noni psalmi est. Rursumque quod dicitur. Quorum os maledictione
et amaritudine plenum est. de nono psalmo sumptum est. Tres autem
uersiculi qui secuntur. ueloces pedes eorum ad effundendum sangui
nem. Contritio et infelicitas in uiis eorum et uiam pacis ignoraue
runt. In isaia propheta repperi. Quos in .xvi. explanationis eius
libro quem nunc dictare cupio expositurus sum. Ultimus
autem uersus id est octauus. non est timor dei ante oculos eorum.
In .xxxv. psalmi principio est. Nec in hoc cuiquam uideatur
esse diuersum. si quod in suis locis numero dicitur singulari. Ab
apostolo pluraliter ponitur qui scribebat ad plurimos et in unum
sensum multa cogebat exempla. Arbitror solutam quaes
tionem tuam. et nostram regulam super translatione ueteris
instrumenti concussam magis esse quam motam. Et non tam
apostolum de psalmo .xiii. sumpsisse quod in hebraico non habetur.
quam eos qui artem contexendarum inter se scripturarum
apostoli nesciebant quaesisse aptum locum ubi absumptum ab eo
ponerent testimonium quod absque auctoritate in scripturae
positum non putabant. Denique omnes graeciae tractatores
qui nobis eruditionis suae in psalmos commentarios reliquerunt.
hos uersiculos ueru et notant atque praetereunt liquido confitentes
in hebraico non haberi. nec esse in lxx interpretibus sed in edi
tione uulgata quae graece ΚΟΙΝΗ dicitur. et in toto orbe
diuersa est. sed iam tempus est ut coepto incumbamus operi et reli
qua prosequamur. Uos autem accedite huc filii auguratricis
semen adulteri et fornicariae super quem lusistis super quem dilatastis
os et eiecistis linguam. LXX Uos autem accedite huc filii iniqui